

# INCIPIT AD PHILIPPENSES



# Contents



# INCIPIT AD PHILIPPENSES

1 Paulus et Timotheus, servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus. <sup>1</sup> <sup>2</sup> Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. <sup>3</sup> Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, <sup>2</sup> <sup>4</sup> semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens, <sup>5</sup> super communicatione vestra in Evangelio Christi a prima die usque nunc. <sup>3</sup> <sup>6</sup> Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu: <sup>4</sup> <sup>7</sup> sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis: eo quod habeam vos in corde, et in vinculis meis, et in defensione, et confirmatione Evangelii, socios gaudii mei omnes vos esse. <sup>5</sup> <sup>8</sup> Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi. <sup>6</sup> <sup>9</sup> Et hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet in scientia, et in omni sensu: <sup>10</sup> ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensa in diem Christi, <sup>7</sup> <sup>11</sup> repleti fructu justitiæ per Jesum Christum, in gloriam et laudem Dei. <sup>8</sup> <sup>12</sup> Scire autem vos volo fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii: <sup>9</sup> <sup>13</sup> ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, et in ceteris

---

<sup>1</sup> + **1.1 Argumentum** Philippenses sunt Macedones. Hi, accepto verbo veritatis, perstiterunt in fide, nec receperunt falsos apostolos. Hoc collaudat scribens eis a Roma de carcere per Ephroditum. Paulus. More solito salutationem præmittit; deinde gratias Deo agit pro eis, implorans eis majora bona, ut et in virtutibus crescentes ad perfectionem perveniant. Deinde patientiam in tribulationibus monet exemplo sui et Christi, postea ut caveant a versutiis pseudoapostolorum; tandem admonitionem moralem interserit, et prope finem de gratia, quam sibi Romam per Ephroditum miserant, gaudere se dicit. Timotheus. Hunc apponit, quia eum missurus erat ad illos: propter hoc eum quodammodo commendans, ut eadem quæ scribit ab eo recipiant. Servi. Servos dixit, ut et ipsi pro Domino ferant dura. Christi. Ut contra pseudo stent.

<sup>2</sup> + **1.3 Gratias ago Deo meo.** Quasi dicat: Agite quæ agitis, quia talia sunt, unde Deum laudo.

<sup>3</sup> + **1.5 Communicatione.** Per quam vestra communia fecistis, in Evangelio exaltando.

<sup>4</sup> + **1.6 Confidens.** Quasi: Deprecor ut stetis, et confido hoc ipsum fieri a vobis quod precor, non autem aliud; sed videte ne frustra confidam. Perficiet. Ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.

<sup>5</sup> + **1.7 Sicut est mihi.** Ita gratias ago, deprecor et confido, sicut justum est sentire, id est ita velle. Et exponit causam, eo quod habeam vos in corde, bonum vobis desidero, sive sim vinculus, sciens vos quoque vinculos, sive defendens Evangelium, quod et vos facitis.

<sup>6</sup> + **1.8 Cupiam omnes vos,** etc. Id est intimo amore Christi, ut ab eo perfecte diligamini, vel eo affectu diligatis Deum et proximos, quo Christus qui animam posuit. Vel hoc refertur ad id quod supra dixit, se desiderare eos esse socios gaudii sui. Et determinat quomodo, scilicet amore Christi, non humano, ut participes habeat in Deo.

<sup>7</sup> + **1.10 Ut probetis potiora.** Id est, ut crescat caritas vestra in scientia, ut probare et discernere sciatis non solum quæ sunt mala et bona, sed etiam inter bona quæ sint potiora, ut post probationem sitis sinceri in vobis, sine operibus corruptionis, et quantum ad proximum, sine offensione.

<sup>8</sup> + **1.11 Repleti fructu,** etc. Id est mercede justitiæ, adeo ut sitis gloria et laus Dei, ut pro vobis dicatur. Mirabilis Deus in sanctis suis Psal. 67..

<sup>9</sup> + **1.12 Scire autem volo,** etc. Hactenus communiter locutus est, inde ponit specialiter quæ tolerantiam suadeant, scilicet, Pro vobis gratias ago: Confido. Vos autem volo scire, etc., quasi dicat: Cum ita sitis perfecti, perseverate et cavete, ne tribulationes instantes hanc vestram diminuunt perfectionem, sed exemplum mei respicite.

omnibus,<sup>10 14</sup> et plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.<sup>11 15</sup> Quidam quidem et propter invidiam et contentionem: quidam autem et propter bonam voluntatem Christum prædicant:<sup>16</sup> quidam ex caritate, scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum.<sup>17</sup> Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.<sup>12 18</sup> Quid enim? Dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuntietur: et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.<sup>13 19</sup> Scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem, per vestram orationem, et subministrationem Spiritus Jesu Christi,<sup>20</sup> secundum expectationem et spem meam, quia in nullo confundar: sed in omni fiducia sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.<sup>21</sup> Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum.<sup>14 22</sup> Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est, et quid eligam ignoro.<sup>15 23</sup> Coarctor autem e duobus: desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius:<sup>24</sup> permanere autem in carne, necessarium propter vos.<sup>16 25</sup> Et hoc confidens scio quia manebo, et permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, et gaudium fidei:<sup>17 26</sup> ut gratulatio vestra abundet in Christo Jesu in me, per meum adventum iterum ad vos.<sup>27</sup> Tantum digne Evangelio Christi conversamini: ut sive cum venero, et videro vos, sive absens audiam de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii:<sup>28</sup> et in nullo terreamini ab adversariis: quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, et hoc a Deo:<sup>18 29</sup> quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini:<sup>19</sup>

<sup>10</sup> + **1.13 Ut vincula**, etc. Quia namque patienter quælibet mala sustineo, patet non esse scelus falsitatis quam in me justa vindicta percellat, sed quamdam veritatis virtutem quam sustinendi fortitudo magnificat.

<sup>11</sup> + **1.14 Auderent**, etc. Constantia enim ejus multos ita animavit, ut non timerent evangelizare.

<sup>12</sup> + **1.17 Quidam autem**, etc. Convicti in contentione a me, prædicant secundum quod eos convici debere prædicare. Ex contentione. Ex privato odio, quod aliquando mecum contulerunt, et confutati sunt. Et ne viderentur correcti, addit: Non puro animo.

<sup>13</sup> + **1.18 Quid enim?** Non prohibet mercenarios, sed permittit, quia et ipsi utiles sunt ad aliqua. Sed et gaudebo. Ideo gaudeo de malis meis, vel de profectu Evangelii, quia inde mihi salus.

<sup>14</sup> + **1.21 Mihi autem vivere Christus est**, etc. Quasi diceret: Merito Christum magnifico sive vita, sive morte, quia Christus mihi vivere, id est mihi vita hic per fidem et spem, et in futuro per speciem. Pro hac vita mortale corpus tradidit, ut ipsum immortale in æternum recipiat, unde et subdit et mori lucrum.

<sup>15</sup> + **1.22 Quod si vivere**, etc. Christus est mihi vivere, ut eum magnificem. Quod si est, tunc nescio quid eligam, mori, an vivere. Quasi: Nisi hic fructus esset, non dubium quin mori eligerem ut Christum haberem præmium: et ideo, ne dubitetis mori pro Christo.

<sup>16</sup> + **1.24 Permanere autem**, etc. Ecce quod non sibi melius, sed quod multis expedit, eligit, propter charitatem, quæ præ omnibus eligenda est.

<sup>17</sup> + **1.25 Et gaudium fidei**, etc. Id est: Ut de fide vestra gaudeamus, vel ut vos de fide gaudeatis in ea proficientes. Quod non est nisi ubi est munda conscientia.

<sup>18</sup> + **1.28 Et hoc a Deo**, etc. Etiam quod patimini non a vobis est, sed a Deo: quia pro merito Christi qui Patri obedivit, hæc inter alias gratias data est vobis.

<sup>19</sup> + **1.29 Non solum**, etc. Utrumque ergo ad Dei gratiam pertinet, et fides credentium, et tolerantia patientium, quia utrumque dixit esse donatum.

<sup>30</sup> idem certamen habentes, quale et vidistis in me, et nunc audistis de me. <sup>20</sup>

2Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis: <sup>21</sup> <sup>2</sup> implete gaudium meum ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, <sup>3</sup> nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, <sup>22</sup> <sup>4</sup> non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. <sup>23</sup> <sup>5</sup> Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu: <sup>24</sup> <sup>6</sup> qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: <sup>25</sup> <sup>7</sup> sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. <sup>26</sup> <sup>8</sup> Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. <sup>27</sup> <sup>9</sup> Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: <sup>28</sup> <sup>10</sup> ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium et infernorum, <sup>29</sup> <sup>11</sup> et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus

<sup>20</sup> + **1.30 Quale et vidistis in me.** Quando nudus verberatus sum pro muliere pythonissa a qua spiritum malignum exclusi, quæ magnum quæstum præstabat dominis suis.

<sup>21</sup> + **2.1 Si qua consolatio,** etc. Si vultis habere consolationem in rebus Christi, id est in remissione peccatorum et in aliis donis; vel: si consolari me vultis, si quod solatium caritatis est vobis, id est si vultis ut charitas ecclesiarum quæ orant et bona agunt pro fratribus, sit vobis solatium et confortatio in adversitatibus vestris. Si qua societas spiritus. Propter hanc societatem illi in quos primitus venit Spiritus sanctus, linguis omnium gentium sunt locuti. Si qua viscera. Id est si affectum pietatis habetis erga me. Non dico ipsam miserationem, id est exhibitionem misericordiæ. Si ista, inquam, vultis vobis prodesse, implete gaudium meum, id est estote humiles, unanimes, quod eritis si habueritis idem sapere, etc.

<sup>22</sup> + **2.3 Nihil per contentionem.** Nota contentiones fuisse inter eos. Superiores, etc. Vere hoc existimandum, quia potest esse in alio aliquid occultum, quo superior sit, etiam si bonum nostrum, quo videmur superiores esse, non sit occultum.

<sup>23</sup> + **2.4 Non quæ sua sunt.** Hic docet quomodo vitent contentionem et inanem gloriam, et quomodo arbitrentur alios superiores, scilicet si consideraverint non sua bona, sed aliorum.

<sup>24</sup> + **2.5 Hoc enim sentite,** etc. Quasi dicat: Unusquisque non quærat suum commodum, sed aliorum, sicut Christus. Ad patientiam et humilitatem vos invito. Hoc enim debetis in vobis sentire quod in Christo fuit. Sicut Christus non quæsivit sua, sed nostra, ita nos invicem onera nostra portemus.

<sup>25</sup> + **2.6 Qui cum in forma.** Præmittit alta de Christo, ut hi in quibus est locus abjectionis non dedignentur humiliari. Non rapinam. Usurpando quod suum non esset, ut diabolus et primus homo. Vel, non est arbitratus se æqualem Deo esse secundum humanitatem, quod esset rapinam facere, id est, non suum præsumere. Sed semetipsum. Ostensa altitudine, subdit de humilitate. Aug., Ench. c. 35 et 36. Exinanivit autem se formam servi accipiens, etc., usque ad factum est ut homo Christus nullum posset habere peccatum. Formam servi. Non formam Dei amittens: forma servi accessit, non forma Dei abscessit: Exinanivit. Exinanire est ab invisibilitatis suæ magnitudine se visibilem demonstrare.

<sup>26</sup> + **2.7 Factus.** Secundum formam servi, qui erat infectus secundum formam Dei et etiam suo Habitu. Id est conversatione.

<sup>27</sup> + **2.8 Humiliavit,** etc. CHRYS. Sponte Filius Patri obedivit, non quasi in servilem, etc., usque ad quod omnium maxime Patrem honoravit.

<sup>28</sup> + **2.9 Propter quod.** Ostensa humilitate Christi quæ maxime in passione apparuit; nunc de claritate ejus, et quod et quantum humilitas mereatur ostendit.

<sup>29</sup> + **2.10 Ut in nomine.** Hic aperit cui datum sit nomen Dei, cui omnis creatura flectit genu, id est Deo. Sed forte diceretur, quod homo adoptione Deus esset, et sic Christus ex parte verus Deus, quod ex parte adoptivus erit. Adoptivo autem Deo non flectit genu creatura, sed vero.

in gloria est Dei Patris. <sup>30</sup> <sup>12</sup> Itaque carissimi mei (sicut semper obedistis), non ut in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram salutem operamini. <sup>13</sup> Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate. <sup>31</sup> <sup>14</sup> Omnia autem facite sine murmurationibus et hæsitationibus: <sup>32</sup> <sup>15</sup> ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, <sup>33</sup> <sup>16</sup> verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi. <sup>17</sup> Sed et si immolor supra sacrificium, et obsequium fidei vestræ, gaudeo, et congratulor omnibus vobis. <sup>18</sup> Idipsum autem et vos gaudete, et congratulamini mihi. <sup>19</sup> Spero autem in Domino Jesu, Timotheum me cito mittere ad vos: ut et ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt. <sup>20</sup> Neminem enim habeo tam unanimum, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit. <sup>34</sup> <sup>21</sup> Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi. <sup>35</sup> <sup>22</sup> Experimentum autem ejus cognoscite, quia sicut patri filius, mecum servivit in Evangelio. <sup>23</sup> Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox ut videro quæ circa me sunt. <sup>24</sup> Confido autem in Domino quoniam et ipse veniam ad vos cito. <sup>25</sup> Necessarium autem existimavi Epaphroditum fratrem, et cooperatorem, et commilitonem meum, vestrum autem apostolum, et ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos: <sup>26</sup> quoniam quidem omnes vos desiderabat: et mœstus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum. <sup>27</sup> Nam et infirmatus est usque ad mortem: sed Deus misertus est ejus: non solum autem ejus, verum etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. <sup>28</sup> Festinantius ergo misi illum, ut viso eo iterum gaudeatis, et ego sine tristitia sim. <sup>29</sup> Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, et ejusmodi cum honore habetote; <sup>30</sup> quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

---

Constat autem Christum verum Deum esse, cui flectitur genu, non adoptivum.

<sup>30</sup> + **2.11 Quia Dominus**, etc. Quod hic quidam negant, dicentes: Quomodo potest fieri, ut homo sit in gloria Dei Patris? sed si adoptivus sit, homo Deus in gloria Dei Patris esse non potest.

<sup>31</sup> + **2.13 Deus enim**. Nec de ipsa perseverantia boni voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari: qui eis non solum dat adjutorium quale primo homini dedit: sine quo non possunt perseverare si velint, sed in eis etiam operatur et velle, ut quoniam non perseverabunt nisi et possint et velint, perseverandi eis et possibilitas et voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint quia sic volunt: ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint.

<sup>32</sup> + **2.14 Omnia autem**. Adjungit patientiam humilitati.

<sup>33</sup> + **2.15 Nationis pravæ**, etc. Id est malorum, qui rectum ordinem depravant et pervertunt. Qui dicuntur natio, quia non sunt renati ex aqua et Spiritu sancto. Sicut luminaria. Bene sanctos luminariibus comparat. Sicut enim stellas cœli non exstinguit nox, sic mentes fidelium adhærentes cœlo sacræ Scripturæ non obscurat mundana iniquitas.

<sup>34</sup> + **2.20 Neminem enim**, etc. Hoc tempore multi cum Apostolo mercenarii, filii vero vel pastores nulli nisi Timotheus.

<sup>35</sup> + **2.21 Omnes**, etc. Hi sunt mercenarii, qui sunt tolerandi, quia eadem habent in ore, quæ et pastores, qui utique sunt diligendi. Fures vero qui falsa prædicant, et latrones qui occidunt, sunt cavendi.



3De cetero, fratres mei, gaudete in Domino. Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium. <sup>36</sup> <sup>2</sup> Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. <sup>3</sup> Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, et gloriamur in Christo Jesu, et non in carne fiduciam habentes, <sup>37</sup> <sup>4</sup> quamquam ego habeam confidentiam et in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, <sup>38</sup> <sup>5</sup> circumcisis octavo die, ex genere Israël, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem pharisæus, <sup>39</sup> <sup>6</sup> secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundum justitiam, quæ in lege est, conversatus sine querela. <sup>7</sup> Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. <sup>40</sup> <sup>8</sup> Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercore, ut Christum lucrificam, <sup>41</sup> <sup>9</sup> et inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justitia in fide, <sup>42</sup> <sup>10</sup> ad cognoscendum illum, et virtutem resurrectionis ejus, et societatem passionum illius: configuratus morti ejus: <sup>43</sup>

<sup>36</sup> + **3.1 De cætero.** Quasi: Huc usque instruxi vos quomodo debeatis stare in bello contra tribulationes, de cætero pseudoapostolos, ne legalia ab eis recipiatis moneo, sed fidem Christi solam sufficere credatis. De sinceritate fidei incipit. Scribere. Ut diutius maneat scriptura quam prolatio.

<sup>37</sup> + **3.3 Nos enim,** etc. Id est: Nos habemus circumcisionem: hoc voluit dicere Apostolus: Nos sumus justitia. Circumcisio enim justitia est. Magis autem commendat dicendo nos esse circumcisionem, id est justitiam, quam dicendo nos esse circumcisos, id est justos: sic tamen ut cum justitiam dicit esse, justos intelligamus. Qui Spiritu Dei, vel, Deo, etc. Notat Spiritum Domini cui latria exhibetur, sed ea servitus soli Creatori exhibenda. Alia est servitus, qua per charitatem jubemur servire invicem, quæ Græce dicitur dulia. Et non in carne fiduciam. Carne servit qui de rebus carnalibus sperat se placere Deo. Cum vero et ipsa caro per bona opera spiritui subditur, spiritu servimus Deo, qui carnem domamus, ut spiritus obtemperet Deo.

<sup>38</sup> + **3.4 Quanquam et ego,** etc. Ne videatur Apostolus contemnere in aliis quod non habet, et non posse fidere in carne, subdit: Quanquam, etc.

<sup>39</sup> + **3.5 De tribu Benjamin.** Tribus Benjamin adhæsit Judæ, non recedens a templo, quando facta est separatio in servo Salomonis. Tunc enim tribus Juda quæ erat regia, et tribus Benjamin, et tribus Levi quæ erat sacerdotalis, remanserunt simul, non recedentes a Jerusalem et a templo.

<sup>40</sup> + **3.7 Propter Christum.** Ne adventum Christi ostenderem, vel nondum factum, vel esse superfluum. Inania enim erant hæc omnia impedimenta, ne accederetur ad gratiam.

<sup>41</sup> + **3.8 Verumtamen existimo.** Non solum propter Christum habendum ita arbitratus sum, sed etiamsi ipsum non possem assequi. Propter hoc solum, scilicet propter scientiam quam de Jesu habemus, præeminentem, cæteris scientiis. Ut stercore. Quasi: Non tantum detrimenta bonorum, sed quæ inquinant jam observantem: et hoc ideo, ut in futuro Christum habeant præmium: et hic sim in illo membrum: quod aliter nequit fieri nisi illa æstimem ut stercore.

<sup>42</sup> + **3.9 Meam justitiam,** etc. Si ex lege est justitia, quomodo tua? Nunquid tu tibi imposuisti legem? Deus legem dedit et imposuit. Deus te legi suæ obtemperare præcepit. Sed et tua est, quia de lege præsumis tua voluntate te legem posse implere æstimans. CHRYS. Recte dixit: Non habens meam justitiam, etc., usque ad quæ ex nostro studio profecta sunt. Sed illam, etc. AUG. Quæ impetrat a Deo, quæ tollit timorem, etc., usque ad omnino tollenda est secundum umbram legalium figurarum. Justitia in fide. Justitia scilicet est ens in fide, et sicut ex fide nata est, ita existere non habet nisi in fide.

<sup>43</sup> + **3.10 Ad cognoscendum.** Subdit commendationem fidei, per multa quæ facit. Facit enim et in alia vita cognoscere Deum perfecte, qui hic creditur. Et habere resurrectionem, quæ nostra resurrectio est virtus et efficacia resurrectionis Christi Et in hac vita habere societatem in patiendo: nisi enim per fidem, nemo tanta pateretur; et configurationem mortis, id est ut moriamur, sicut ipse, si opus est.

<sup>11</sup> si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis: <sup>44</sup> <sup>12</sup> non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam in quo et comprehensus sum a Christo Jesu. <sup>13</sup> Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora, extendens meipsum, <sup>45</sup> <sup>14</sup> ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. <sup>46</sup> <sup>15</sup> Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus: et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit. <sup>47</sup> <sup>16</sup> Verumtamen ad quod pervenimus ut idem sapiamus, et in eadem permaneamus regula. <sup>17</sup> Imitatores mei estote, fratres, et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. <sup>18</sup> Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi: <sup>48</sup> <sup>19</sup> quorum finis interitus: quorum Deus venter est: et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. <sup>49</sup> <sup>20</sup> Nostra autem conversatio in cælis est: unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, <sup>50</sup> <sup>21</sup> qui reformabit corpus humilitatis

---

<sup>44</sup> + **3.11 Occurram.** Deo tribuens quæ mihi tribuit, per hoc venturus ad resurrectionem. Vel, occurram Christo in iudicio quod sanctorum est tantum, veniens prius ad resurrectionem veram et gloriosam, quæ non est inter mortuos, sed longe ex mortuis: quia licet omnes resurgant in die iudicii, soli tamen justi gloriose immutabuntur, et occurrent Domino in æra deportati ab angelis. Impii vero manebunt in terra quousque percipiant terribilem sententiam iudicis. Non quod jam acceperim. Hoc dicit de se, ne illi quos laudat, ut homines extollantur, sed laborem adderent, ut ipse facit qui tantus est. Sequor autem, etc. Non passibus corporis, sed mentis affectibus et vitæ moribus, ut possim esse perfectus justitiæ possessor: qui recto itinere de die in diem spirituali renovatione proficiens, jam perfectus sum ejusdem justitiæ viator. Perfectus enim erat viator, sed nondum ipsius itineris perfectione perventor. Si quo modo comprehendam. Hoc dicit quia difficile est. Et ne videatur superfluum tot pati, cum fidem et alia bona habeat, subdit: Merito pro illa gloria tantum laboro, quia Non dico quod jam acceperim aliquid: quia si quid gloriæ accepi, nihil est ad comparisonem futuræ. Aut si quid accepi, ut de cognitione Christi, non dico quod in illa perfectus sim. Et si ita de me. quid me qui de aliis?

<sup>45</sup> + **3.13 Quæ quidem retro.** Priora acta non quia mala, sed parva ad meritum, sed ad potiora extensus, ut semper proficiat in melius.

<sup>46</sup> + **3.14 Persequor.** Eo usque donec veniam ad destinatum bonum. Supernæ vocationis. Id est æternæ vitæ, ad quam vocat Deus, et ideo digna res est, etc.

<sup>47</sup> + **3.15 Perfecti sumus.** Sciendum quod justitia qua justus ex fide vivit vera justitia est, quæ licet non immerito in aliquibus justis pro hujus vitæ capacitate perfecta dicatur, parva tamen est ad illam magnam, quam cepit æqualitas angelorum: quam qui nondum habebat, et propter illam quæ jam inerat, perfectum, et propter istam quæ adhuc deerat imperfectum se esse dicebat. At minor ista justitia facit meritum, major illa præmium. Ideo qui istam non sequitur, illam non assequitur. Et si quid aliter sapitis. Id est, si quid melius ad cultum Dei excogitaveritis, etiam hoc donum Dei esse sciatis, quia hoc revelabit vobis. Sed ne qua inde præsumptio oriretur, subdit: ad quod pervenimus ut idem sapiamus: hoc est non extra regulam disciplinæ sapere, sed quod commune sit et modestum in veritate evangelica. Verumtamen ad. Modo imperfecti sumus, modo aliter sapimus, sed tamen necesse est, ut omnes idem de illo sapiamus, ad quod pervenimus fide et scientia, et in eadem permaneamus regula. Id est, opere compleamus.

<sup>48</sup> + **3.18 Inimicos crucis.** Qui carnis observantias inducunt, crucem superfluum asserunt.

<sup>49</sup> + **3.19 Quorum deus venter est.** Quasi in esca salus, ut deus sit venter, et gloriantur in pudendis circumcicis, quod est terrena sapere, et quidquid faciunt, pro ventre faciunt. Vel escas quæ ventris sunt, faciunt deum: dum eas justificare homines dicunt, et gloria eorum in talibus est, unde confundi et erubescere possunt, dum per temporalia se justificari dicunt. Itaque gloria eorum temporalis perducet eos ad confusionem æternam.

<sup>50</sup> + **3.20 Nostra conversatio.** Id est vivendo et intelligendo simus similes angelis. Unde etiam, id est, præter commoda quæ jam habemus, etiam Dominum exspectamus.

nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua etiam possit subicere sibi omnia.

4Itaque fratres mei carissimi, et desideratissimi, gaudium meum, et corona mea: sic state in Domino, carissimi. <sup>51</sup> <sup>2</sup> Evodiam rogo, et Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino. <sup>52</sup> <sup>3</sup> Etiam rogo et te, germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, et ceteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ. <sup>53</sup> <sup>4</sup> Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete. <sup>54</sup> <sup>5</sup> Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus prope est. <sup>55</sup> <sup>6</sup> Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione, et obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. <sup>56</sup> <sup>7</sup> Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu. <sup>57</sup> <sup>8</sup> De cetero fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, siqua virtus, siqua laus disciplinæ, hæc cogitate. <sup>58</sup> <sup>9</sup> Quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hæc agite: et Deus pacis erit vobiscum. <sup>10</sup> Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruitis pro me sentire, sicut et sentiebatis: occupati autem eratis. <sup>59</sup> <sup>11</sup> Non quasi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus

<sup>51</sup> + **4.1 Gaudium, et consolatio.** Id est per quos in præsentī lætificor et in futuro coronabor. Discipulis enim in agone victoribus, dignus erit corona magister.

<sup>52</sup> + **4.2 Evodiam rogo,** etc. Omnes moneo, sed specialiter Evodiam et Syntychen: quia hæc mulieres religiosæ prædicatores suscipere solebant.

<sup>53</sup> + **4.3 Nomina.** Qui discreti sunt meritis diversas mansiones habebunt in æterna domo. Unde: In domo Patris mei mansiones multæ sunt Joan. 14.. Libro vitæ. Prædestinatio in qua omnes salvandi prædestinati sunt. Quasi: Nolite, o Philippenses, graviter ferre quod omnes vos in epistola mea sigillatim non nominavi, quia etsi in ea non estis scripti, in libro tamen vitæ continemini.

<sup>54</sup> + **4.4 Gaudete,** etc. Lætatus in fide eorum et operibus, Apostolus ut alacriores sint, optat in hoc studio proficientes gaudere in Domino, et id iterat, ut se in eis vere gaudere ostendat.

<sup>55</sup> + **4.5 Modestia.** Id est rectus modus, ut in Domino sit omne gaudium, et hoc per vos addiscant alii. Vel modestia nota sit omnibus fidelibus et infidelibus, ut imitentur ne possint reprehendere. Dominus prope est, id est paratus dare quidquid opus est in spiritualibus vel temporalibus. De nulla re sitis solliciti et timidi. Sed petitiones de his quæ vultis impetrare.

<sup>56</sup> + **4.6 Sed in omni oratione.** Oratio et obsecratio, communiter pro se vel aliis, de quibuslibet, at petito de rebus nominatim necessariis fit. Innotescant. Hæc notitia assiduitate fit, et vigilantia orationis. Tunc demum pax custodit corda in Christo. Hoc ideo dicit, quia qui cum Deo habet pacem, non timet mentem adversam. Apud Deum. Vel angelis, qui Deo eas offerunt. Unde: Cum oraretis, orationem vestram obtuli apud Deum. Vel nobis innotescant apud Deum per tolerantiam, non apud homines per jactantiam.

<sup>57</sup> + **4.7 Et pax Dei,** id est Deus qui est pax summa, quæ nec cogitari potest, et ideo extra eum nullo opus est. Exsuperat omnem sensum. Nostrum, non eorum qui semper vident faciem Patris. Vel pax qua ipse Deus pacatus est, superat omnem sensum: præter suum, quia nec nos sic possumus nosse, nec ulli angeli.

<sup>58</sup> + **4.8 De cætero, fratres,** etc. Hactenus contra persecutores et contra pseudoprædicatores monuit. De cætero autem in conclusionē, quæ ad perfectionem sunt exponit. Quæcumque justa. Istud ad proximum. Sancta, in propria vita; et ut minus dicatur, quæcumque sunt amabilia, id est, amari digna, ut modestus incessus, humilis sermo et hujusmodi. Bonæ famæ. AUG. Nobis vita nostra, aliis bona fama necessaria est. Proinde quisquis a flagitiorum criminibus vitam suam custodit, sibi benefacit; quisquis autem famam, etiam in alios misericors est.

<sup>59</sup> + **4.10 Gavisus,** etc. Hic commemorat, quod sibi sæpe necessaria miserant, unde alacri-

sum, sufficiens esse. <sup>60</sup> <sup>12</sup> Scio et humiliari, scio et abundare (ubique et in omnibus institutus sum): et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati. <sup>61</sup> <sup>13</sup> Omnia possum in eo qui me confortat. <sup>14</sup> Verumtamen bene fecistis, communicantes tribulationi meæ. <sup>15</sup> Scitis autem et vos Philippenses, quod in principio Evangelii, quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli: <sup>16</sup> quia et Thessalonicam semel et bis in usum mihi misistis. <sup>17</sup> Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra. <sup>62</sup> <sup>18</sup> Habeo autem omnia, et abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo. <sup>63</sup> <sup>19</sup> Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum secundum divitias suas in gloria in Christo Jesu. <sup>64</sup> <sup>20</sup> Deo autem et Patri nostro gloria in sæcula sæculorum. Amen. <sup>21</sup> Salutate omnem sanctum in Christo Jesu. <sup>22</sup> Salutant vos, qui mecum sunt, fratres. Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt. <sup>23</sup> Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

---

tatem suam propensorem factam ostendit quia in quo negligentes facti fuerant, adhibita solertia iterarunt, ut memores facti apostoli sui fructus emitterent in horreo cœlesti condendos. Aliquando, etc. Aliquo tempore, quia non omni potuerunt. Refloruistis. Ministrando mihi necessaria. Quæ ministratio dicitur flos, quia inde fructus vitæ æternæ provenit. Pro me. Quia mihi prodest vestra compassio. Ne autem viderentur aliqua mala causa intermisisse addit: modo refloruistis, sed ante eratis occupati et impediti aliquibus adversis.

<sup>60</sup> + **4.11 Non quasi.** Non propter se, sed profectum eorum gaudet.

<sup>61</sup> + **4.12 Scio et humiliari.** Qui penuria non frangitur, a gratiarum actione non retrahitur. Qui rerum temporalium desiderio non accenditur, scit humiliari, id est inopiam pati. Abundare. Qui acceptis rebus non extollitur, qui eas ad usum vanæ gloriæ non intorquet, qui solus non possidet quod accepit, sed cum indigentibus misericorditer dividit, scit abundare. Qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem ventris, nec plus carni tribuit quam necessitas petit, scit satiari. Qui alimenterum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate victus agit aliquid, unde anima peccati laqueum incurrat, scit esurire.

<sup>62</sup> + **4.17 Non quia quæro.** Datum est res ipsa quæ datur, ut munus, cibus, potus et hujusmodi. Fructus autem opera bona, et recta voluntas datoris. Unde Dominus in Evangelio non ait simpliciter: Qui recipit justum vel prophetam, sed addidit: in nomine justii vel prophetæ. Suscipere enim prophetam vel justum, datum est. In nomine justii vel prophetæ hoc facere, fructus est. Eliam pavisse leguntur corvus et vidua. Sed per corvum qui non nomine justii, dato pascebatur, per viduam, fructu, quia sciebat quod hominem Dei pasceret. Sed fructum. Id est bonam et rectam voluntatem bonæ operationi adjunctam. Non enim tam gaudet subventum esse suæ necessitati, quam illorum congratulatur fecunditati.

<sup>63</sup> + **4.18 In odorem.** Quæ missa sunt a vobis placent Deo ut odor suavissimus. Comparantur etiam orationi quæ est incensum Dei. Unde dicitur: Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis Luc. 11..

<sup>64</sup> + **4.19 Impleat omne desiderium vestrum.** Non in terrenis, sed in gloria. Vel gloria Christi implentur desideria sanctorum, ut ipse Christus inde sit gloriosus.